

DE SPECIALI EPISCOPI MANDATO IUXTA CIC/1983

SUMMARIUM: *Analysi subicitur Codex recognitus Ecclesiae Latinae intuitu celeberrimae figurae iuridicae specialis mandati, quod certis in casibus requiritur, ut Vicarius generalis et Vicarius episcopalis in Ecclesia particulari valide agere valeant. Post indicationem aliquorum argumenti praesuppositorum ecclesiologico-canonicorum atque brevem synthesim figurae iuridicae specialis mandati iuxta CIC/1917 mutationes quoad hanc figuram in novo Codice fuse referuntur. Non amplius inveniuntur in iure vigente casus concreti singulis in legibus expresse speciale mandatum exigentes, sed eorum loco novae normae saepissime in ambitu potestatis executivae competentiam tribuunt nominatim Episcopo dioecesano ipso, exclusis Vicario generali et episcopali, nisi de speciali mandato. Cum simul nova norma introducta sit de duabus rationibus obligationes et iura officio ecclesiastico propria definientibus (cf. can. 145 § 2) et praeterea potestas delegata accuratius determinata sit (cf. can. 131 § 1), investigatio conducit ad thesim, quod potestas vi specialis Episcopi mandati Vicario generali vel episcopali commissa non est ordinaria vicaria, sed ex delegata, praesertim quia in aliquo casu concreto quoque expresse Episcopi mandatarius in Codice dicitur eius «delegatus» (cf. can. 492 § 1).*

In Codice Iuris Canonici anni 1983 non raro figurae iuridicae inveniuntur, quae una ex parte iam in iure canonico traditionaliter locum suum habebant et proinde in scientia canonica fusius disputatae ac explicatae sunt, quae alia ex parte autem causa renovationis et novae codificationis iuris canonici aliquo modo mutatae sunt, ita ut indoles ambitusque earum in legislatione vigente non plene coincidunt cum significatione, quam in vetere iure habebant. Ad

talem figurarum iuridicarum categoriam pertinere videtur celeberrimum sic dictum speciale Episcopi mandatum, quod pro negotiis determinatis Vicarii generalis et nunc post Concilium Vaticanum II Vicarii quoque episcopalis requiritur, ut Vicarii Episcopi illi determinatis in casibus valide agere possint. Interest in hoc parvulo articulo in honorem illustrissimi professoris iubilati R.P. NAVARRETE, quomodo in Ecclesiae Latinae iure vigente scilicet in Codice anni 1983 speciale Episcopi mandatum occurrat atque intelligendum sit. Antequam ista Codicis investigatio peragitur, utile esse videtur antecederet tum aliqua argumenti praesupposita ecclesiologico-canonica saltem breviter indicare, ita ut argumenti contextus sufficienter appareat, tum figuram specialis Episcopi mandati iuxta Codicem anni 1917 in memoriam redigere, ita ut hac in materia differentia inter ambos Codices plana fiat.

I. DE EXERCITIO POTESTATIS EPISCOPI DIOECESANI

1. Speciale Episcopi mandatum progreditur ab Episcopi dioecesani potestate, quae in doctrina ecclesiologica ultimi Concilii profundius descripta atque iuxta istum progressum doctrinalem in Codice clarius definita est:

«Episcopo dioecesano in dioecesi ipsi commissa omnis competit potestas ordinaria, propria et immediata, quae ad exercitium eius muneris pastoralis requiritur, exceptis causis quae iure aut Summi Pontificis decreto supremae aut alii auctoritati ecclesiasticae reserventur». (can. 381 § 1).

Observantur in hoc textu relate ad can. 334 § 1 CIC/1917 imprimis duo progressus, qui ambo in doc-

trina conciliari radican- tur: Episcopi dioecesani potestas non solum «ordinaria» dicitur uti adhuc in CIC/1917 (can. 329 § 1), sed nunc «ordinaria propria (et immediata)» nuncupatur. Locutio de indole *propria* potestatis Episcopi dioecesani desumpta est, uti fontes novi canonis demonstrant¹, Constitutione dogmatica «Lumen Gentium», ubi legitur:

«Haec potestas qua, nomine Christi personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata, licet a suprema Ecclesiae auctoritate exercitium eiusdem ultimatim regatur et certis limitibus, intuitu utilitatis Ecclesiae vel fidelium, circumscribi possit. Vi huius potestatis Episcopi sacrum ius et coram Domino officium habent... Ipsis munus pastorale seu habitua- lis et cotidiana cura ovium suarum plene committitur, neque vicarii Romanorum Pontificum putandi sunt, quia potestatem gerunt sibi propriam verissimeque populorum quos regunt, Antistites dicuntur». (LG 27).

Iuxta hanc doctrinam Concilii potestas Episcopi dioecesani non derivatur a potestate Romani Pontificis, sed erga potestatem primatiam in Ecclesia realitatem sacram efformat propriam, quae immediate in ipso Christo radicitur et in eius nomine exercetur. Quam ob rem Episcopi dioecesani in eorum munere regendi in Ecclesiis particularibus iuxta Constitutionem «Lumen Gentium» sunt Vicarii Christi!

Alter progressus in textu can. 381 § 1 habetur in eo quod quoad relationem canonicam, quae intercedit

¹ Cf. Pontificia Commissio Codici Iuris Canonici authentice interpretando, Codex Iuris Canonici auctoritate JOANNIS PAULI Pp. II promulgatus fontium annotatione et indice analytico-alphabetico auctus, Città del Vaticano 1989, 108.

inter Episcopum dioecesanum et Romanum Pontificem, non amplius viget systema sic dictum concessionum, vi cuius Episcopo dioecesano facultates, privilegia etc. ad officium adimplendum concedebantur, sed viget nunc e contra systema sic dictum reservationum², inquantum Episcopo dioecesano per se *omnis* potestas, quae ad exercitium eius ministerii requiritur, ex officio convenit, dummodo exceptionaliter tantum determinatae causae reservantur aut Romano Pontifici scilicet causae maiores³, aut aliae auctoritati ecclesiasticae e.g. conferentiae Episcoporum⁴. Ambo progressus in descriptione potestatis episcopalis, qui condicionem canonicam Episcopi dioecesani augebant, consecraria in Ecclesia particulari secumferunt non exclusis illis officiis, quae tamquam Episcopi Vicarii nomine eius agunt necnon pro certis negotiis speciali Episcopi mandato indigent.

2. Ad locum istorum Vicariorum in regimine dioeceseos recte determinandum iuvat quoad exercitium potestatis episcopalis clare distinguere inter illa organa in Ecclesia particulari una ex parte, quorum consilium respective consensus requiritur, ut Episco-

² Cf. K. MÖRSDORF, Kommentar zum Dekret über die Hirtenaufgabe der Bischöfe in der Kirche, in Lexikon für Theologie und Kirche. Das Zweite Vatikanische Konzil II, Freiburg-Basel-Wien 1967, 160.

³ Qui terminus technicus, qui comprehendit gravioris momenti negotia quae uni Romano Pontifici reservantur (cf. can. 220 CIC/1917), in novo Codice non iam invenitur (cf. H. ZAPP, *Codex Iuris Canonici. Lemmata*, Freiburg 1986, 105).

⁴ Cf. H. MÜLLER, La conferenza episcopale e il vescovo diocesano, in Natura e futuro delle conferenze episcopali. Atti del Colloquio internazionale di Salamanca (3-8 gennaio 1988), a cura di H. LEGRAND - J. MANZANARES - A. GARCIA Y GARCIA, Bologna 1988, 134 s.

pus sive licite sive certis in casibus valide agere possit, et ista organa altera ex parte, quae nomine Episcopi munera regiminis adimplent sive in re executiva sive in re iudiciali, non autem in re legislativa⁵. Dummodo prima species organorum scilicet Synodus dioecesis, consilium presbyterale, collegium consultorum, consilium pastorale, consilium a rebus oeconomicis in structura Ecclesiae particulari elementum synodale respective quasisynodale constituit⁶, altera species organorum e contra, inquantum illa nomine Episcopi agunt, pertinet ad Ecclesiae particularis structuram hierarchicam. In administratione dioecesis curanda habentur officia Vicarii generalis et Vicarii episcopalis, in potestate iudiciali exercenda autem officia Vicarii iudicialis et Vicarii iudicialis adiuncti. Figura iuridica specialis Episcopi mandati sese refert ad munera dumtaxat Vicarii generalis et Vicarii episcopalis, proinde restringitur ad ambitum potestatis executivae.

3. Iam initio expresse enuntiandum est, quod figura iuridica specialis Episcopi mandati uti pro Vicario generali ita quoque pro officio Vicarii episcopalis a Vaticano II condito in CIC/1983 eodem modo viget, postquam iam PAULI Pp. VI Litterae Apostolicae Motu proprio datae «Ecclesiae Sanctae» diei 6.8.1966 Episcopo dioecetano expressis verbis facultatem concesserunt, «speciale mandatum, quod a iure communi pro certis negotiis praescribitur, Vicario Episcopali conferre»⁷. Officium

⁵ Cf. H. MÜLLER, Die Stellung des Diözesanbischofs in der Partikularkirche aufgrund des Codex Iuris Canonici von 1983, in *Theologie und Glaube* 76 (1986) 106-109.

⁶ Cf. F. DANEELS, De dioecesanis corresponsabilitatis organis, in *Periodica* 74 (1985) 301-324.

⁷ AAS 58 (1966) 765.

Vicarii episcopalis, cuius competentia contradistincta ab illa Vicarii generalis materialiter restricta est ad actus administrativos aut «quoad determinatam territorii partem aut negotiorum genus aut fideles determinati ritus vel coetus» (can. 479 § 2), in systemate iuris Codicis sub aspectu formali officio Vicarii generalis aequiparatur. Uti Vicarius generalis ita etiam Vicarius episcopalis intra ambitum suae competentiae in curia dioecesana gaudet potestate executiva ordinaria vicaria (cf. can. 479 § 2) et inter Ordinarios loci enumeratur (can. 134 §§ 1 et 2). Praequiruntur pro eo eadem dotes ac pro Vicario generali (can. 478 § 1); eius munus quoque componi non potest cum munere canonici paenitentiarii, neque committi valet consanguineis Episcopi usque ad quartum gradum (can. 478 § 2). Uti Vicarius generalis ita Vicarius episcopalis libere ab Episcopo dioecesano nominatur atque ab ipso libere removeri potest (can. 477 § 1). In casu absentiae vel legitimae impeditionis norma, quae pro Vicario generali viget, applicatur pro Vicario episcopali (can. 477 § 2). Eadem normae quoque vigent quoad facultates habituales ab Apostolica Sede Episcopo dioecesano concessas (can. 479 § 3), quoad gratiam denegatam (can. 65 §§ 2 et 3), quoad obligationem de praecipuis negotiis Episcopo dioecesano referrendi (can. 480), et quoad amissionem officii (can. 481). Non obstante maxima differentia materiali inter officium Vicarii generalis et officium Vicarii episcopalis, quae sese refert ad ambitum eorum competentiae (cf. can. 479 §§ 1 et 2), sub aspectu formali igitur officium Vicarii episcopalis aequiparatur officio Vicarii generalis iisdem normis quoad duo officia in curia dioecesana statutis non excluso speciali Episcopi mandato, quod quidem in hoc sensu technico

ante creationem officii Vicarii episcopalis exclusive competebat Vicario generali⁸.

II. DE SPECIALI EPISCOPI MANDATO IUXTA CIC/1917

4. In Codice Iuris Canonici anni 1917 ambitus potestatis Vicarii generalis⁹ describebatur tamquam iurisdictio quae ad Episcopum iure ordinario pertinet exceptis tamen negotiis: (a) quae Episcopus sibi reservaverit; (b) quae ex iure requirunt speciale Episcopi mandatum (can. 368 § 1 CIC/1917). Quaestio, quae-nam sint illa negotia speciale Episcopi mandatum requiruntia, de qua antea in scientia controversia non soluta ducta erat¹⁰, in Codice anni 1917 finibatur eo modo, quod illa negotia accurate determinabantur et diversis locis taxative enumerabantur¹¹. Erant 21 casus sequentes¹²: excardinationem et incardinationem concedere (can. 113 CIC/1917); providere officiis ecclesiasticis (can. 152 CIC/1917); synodum dioecesanam convocare eique praeesse (can. 357 § 1 CIC/1917); nominare et instituere parochos (can. 455 § 3 CIC/1917); vicarios paroeciales amovere (can. 477 § 1 CIC/1917); associationes erigere (can. 686 § 4 CIC/1917); reservare peccata (can. 893 § 1 CIC/1917); litteras dimissorias dare (can. 958 §§ 1 et 2 CIC/1917);

⁸ Cf. R. NAZ, Mandat, in Dictionnaire de Droit Canonique VI, 715 s.

⁹ Cf. E.v. KIENITZ, Generalvikar und Offizial auf Grund des CIC, Freiburg 1931, 94-98.

¹⁰ Cf. F.X. WERNZ-P. VIDAL, Ius Canonicum II, Roma 1943, 809 s.

¹¹ Cf. A. VERMEERSCH - J. CREUSEN, Epitome Iuris Canonici I, Mechliniae-Romae 1963, 404.

¹² Cf. U. STUTZ, Der Geist des Codex iuris canonici, Stuttgart 1918, 286-295.

permittere matrimonium conscientiae (can. 1104 CIC/1917); consecrare aliquem locum (can. 1155 § 1 CIC/1917); consensum dare pro ecclesiae aedificatione (can. 1162 § 1 CIC/1917); reliquias authenticas edicere (can. 1283 § 2 CIC/1917); iudicium ferre, antequam publicae venerationi exponuntur sacrae reliquiae, quarum authenticitatis documenta interierunt (can. 1285 § 1 CIC/1917); stipem definire (can. 1303 § 3 CIC/1917); beneficia erigere (can. 1414 § 3 CIC/1917); unire quaslibet paroeciales ecclesias inter se aut cum beneficio non curato (can. 1423 § 1 CIC/1917); conferre beneficia (can. 1432 § 2 CIC/1917); concedere canonicam institutionem (can. 1466 § 2 CIC/1917); consensum requisitum praestare pro permutatione duorum beneficiorum (can. 1487 § 1 CIC/1917); infligere poenas (can. 2220 § 2 CIC/1917); absolvere ab excommunicatione (can. 2314 § 2 CIC/1917).

Illius Codicis commentatores¹³ accuratam circumscriptionem singulorum casuum unanimiter statuebant et laudabant, simul autem iterum recipiebant discussionem, quali potestate Vicarius generalis utatur in negotiis, quae speciale Episcopi mandatum requirunt. Utrum illa potestas quoque sit ordinaria an potius sit delegata, antea in controversia fuerat. Multi eam intellexerant ordinariam, si mandatum speciale fuerit datum in prima collatione vicariatus seu in formula qua Vicarius generalis fuit institutus, quia tunc potestas ex speciali Episcopi mandato accepta veluti officio adnexa et officii accessoria habebatur, dummodo illa, quae separatim per speciale manda-

¹³ Cf. summarium apud F.X. WERNZ - P. VIDAL, *Ius Canonicum* (nota 10), 809 s.

tum committuntur, considerabantur uti a potestate delegata procedentia. Similis sententia, quae distinguit iuxta diversas formulas, quibus commissio mandati specialis exprimitur, ita ut indoles eius potestatis a voluntate Episcopi dependeret, adhuc interdum etiam inter Codicis commentatores inveniebatur, quorum plerique autem potestatem vi specialis Episcopi mandati Vicario generali commissam dicebant ordinariam, quia specialis mandati commissionem tamquam extensionem in ipso iure expressam potestatis vicarii interpretabantur¹⁴. Rationes huius interpretationis erant praeprimis sequentes¹⁵: (a) mandatum speciale ipsam *officii* potestatem determinare nec personae qua tali concedi¹⁶; (b) Codicem nusquam declarare illos casus vi *delegationis* poni; (c) in can. 2002 CIC/1917 Vicarium generalem in processibus tunc (tantum) nomine Ordinarii venire dici, cum vi mandati specialis agit; (d) praeterea propter ius canonicum orientale, ubi expresse habetur, quod Syncellus (idem ac Vicarius generalis in Ecclesia Latina) agit ordinaria potestate etiam in iis quae ex speciali mandato facit. In favorem huius interpretationis finefinaliter fere unanimis fortasse adhuc aliud argumentum afferri poterit scilicet ipse textus illarum legum, in

¹⁴ K. MÖRS DORF, Lehrbuch des Kirchenrechts auf Grund des Codex Iuris Canonici I, München-Paderborn-Wien 11964, 431.

¹⁵ Cf. summarium apud A. VERMEERSCH - J. CREUSEN, Epitome (nota 11), 405.

¹⁶ Praesertim hoc argumentum expresse et certe denegabatur ab istis, qui potestatem vi specialis mandati commissam tamquam delegatam explicabant affirmantes e contra eam non officio annexam esse, sed immediate personae delegari (cf. N. HILLING, Der Generalvikar und das bischöfliche Spezialmandat, in Archiv für katholisches Kirchenrecht 113 [1933] 91-94).

quibus speciale mandatum pro Vicario generali exigitur. Plerisque in casibus supra enumeratis competentia agendi non addicitur ipso Episcopo, sed Ordinario loci scilicet primum etiam Vicario generali, qui quidem deinde speciali mandato indiget. Plerisque in casibus igitur lex ipsa sese refert directe ad Ordinarium loci, cui competentiam attribuit; cum deinde autem pro Vicario generali speciale mandatum postulatur, illud speciale mandatum «secundum propriam verborum significationem in textu» (can. 18 CIC/1917) Ordinario loci (!) committitur, qui in illo quoque casu tamquam Ordinarius loci agit scilicet potestate ordinaria executiva vicaria. Videtur quod haec argumentatio viget quoad omnes canones, qui primum sese referunt ad *Ordinarium loci*, deinde autem inter Ordinarios loci Vicarium generalem sine speciali mandato excludunt, quae quidem conceptio tali modo non amplius habetur in iure vigente, sed modo mutato.

III. QUAE IN CIC/1983 NOMINATIM EPISCOPO DIOECESANO TRIBUANTUR

5. In Codice Iuris Canonici anni 1983 figura iuridica specialis Episcopi mandati in favorem Vicarii generalis et episcopalis quidem retinetur¹⁷, ita tamen ut nullus casus materialiter adhuc in lege determinetur, qui ope specialis mandati Vicario generali et

¹⁷ Cf. cann. 134 § 3; 406 § 1; 479 §§ 1 et 2. Praeterea Codex in iure matrimoniali (can. 1105 § 1 n. 1) et processuali (cann. 1485 et 1524 § 3) de speciali mandato loquitur, quo quidem procurator indiget (cf. X. ОСНОВА, Index verborum ac locutionum Codicis iuris canonici, Roma 1984, 270).

episcopali committi valeat. Immo in can. 134 nova paragraphus introducta est determinans:

«Quae in canonibus nominatim Episcopo dioecetano, in ambitu potestatis executivae tribuuntur, intelleguntur competere *duntaxat* Episcopo dioecetano aliisque ipsi in can. 381 § 2 aequiparatis, exclusis Vicario generali et episcopali, nisi de speciali mandato» (can. 134 § 3).

Observantur proinde quoad speciale mandatum in Codice vigente duae mutationes fundamentales: (a) de speciali mandato Codex solummodo abstracte loquitur, inquantum non amplius habetur ullus casus concretus, qui singulis in canonibus speciale mandatum exigit; (b) normae ad rem pertinentes non iam sese referunt ad Ordinarium loci, sed nominatim ad Episcopum dioecetatum, cui in illis casibus administrationis dioecetanae potestas executiva *exclusive* competit.

6. In Codice casus, qui in ambitu potestatis executivae nominatim ac proinde exclusive Episcopo dioecetano attribuuntur, valde numerosi sunt¹⁸, uti statim apparet. Sunt imprimis casus sequentes:

— prorogare rescripta ab Apostolica Sede concessa (can. 72);

— dispensare in legibus disciplinaribus (can. 87 § 1);

— nominare tutorem (can. 98 § 2);

— providere officiis ecclesiasticis in Ecclesia particulari (can. 157; cf. cann. 470; 471 n. 1; 476; 494 § 1; 508 § 2; 509 § 1; 523; 524; 539; 544; 547; 553 § 2; 557; 1420 § 1; 1421 § 1; 1; 1435);

¹⁸ Cf. H. MÜLLER, Die rechtliche Stellung des Diözesanbischöfs gegenüber Generalvikar und Bischofsvikar, in Archiv für katholisches Kirchenrecht 153 (1984) 409-412.

- iudicium ferre, utrum adiuncta commorationem extra seminarium postulent (can. 235 § 1);
- candidatos extra seminarium idoneo sacerdoti commendare (can. 235 § 2);
- statuere de formatione iuvenum candidatorum ad diaconatum permanentem (can. 236 n. 1);
- admittere ad seminarium maius (can. 241 § 1);
- decernere quae ad seminarii superius regimen et administrationem spectant (can. 259 § 1);
- seminarium frequenter visitare et in formationem alumnorum invigilare (can. 259 § 2);
- imponere tributum in favorem seminarii (can. 264 § 1);
- litteras excardinationis aut incardinationis dare (can. 267 § 1);
- ad incardinationem devenire (can. 269);
- concedere licentiam ad aliam Ecclesiam particularem transmigrandi (can. 271);
- erigere consociationes publicas in dioecesi (can. 312 § 1 n. 3);
- Synodum dioecesanam convocare, dirigere, suspendere necnon dissolvere (cann. 462; 463 §§ 2 et 3; 468 § 1);
- determinare rationem de munere in curia dioecesana adimplendo (can. 471 n. 1);
- determinare fines de secreto in curia dioecesana servando (can. 471 n. 2);
- constituere consilium episcopale (can. 473 § 4);
- remove ab officiis ecclesiasticis in Ecclesia particulari (cann. 477 § 1; 485; 494 § 2; 538 § 1; 552; 554 § 3; 1436 § 2; 1740; 1748);
- consilio a rebus oeconomicis praeesse (can. 492 § 1);

- ordinare expensas ex quaestu dioecesis constituto (can. 494 § 3);
- approbare statuta consilii presbyteralis (can. 495 § 1);
- nominare aliquos sodales consilii presbyteralis (can. 497 n. 3);
- consilium presbyterale convocare, dirigere, dissolvere (cann. 500 et 501);
- nominare sodales collegii consultorum et collegio consultorum praeesse (can. 502 §§ 1 et 2);
- probare statuta capituli sive cathedralis sive collegialis (can. 505);
- separare paroeciam a capitulo (can. 510 § 1);
- statuere normas quoad ecclesiam, quae simul est paroecialis et capitularis (can. 510 § 3);
- consilium pastorale constituere, dirigere, convocare (cann. 511-514);
- paroecias erigere, suppressere, innovare (can. 515 § 2);
- prospicere pastorali curae, ubi paroecia vel quasi-paroecia erigi non potest (can. 516 § 2);
- participationem in exercitio curae pastoralis concedere personae sacerdotali characterem insignitae (can. 517 § 2);
- committere paroeciam instituto religioso vel societati vitae apostolicae (can. 520 § 1);
- iudicium ferre, utrum in paroecia constituatur consilium pastorale (can. 536 § 1);
- decernere de parochi renuntiatione acceptanda et providere renuntiantis sustentiationi (can. 538 § 3);
- definire vicarii paroecialis obligationes et iura (can. 548 § 1);
- erigere instituta vitae consecratae (can. 579);
- constitutiones instituti iuris dioecesani appro-

bare et ab illis dispensare (can. 595);

— accipere professionem trium evangelicorum consiliorum eremitaе (can. 603 § 2);

— consensum dare ad instituti religiosi domum erigendam (can. 609 § 1);

— consensum dare, ut domus religiosa ad opera apostolica destinetur diversa ab illis pro quibus constituta est (can. 612);

— invigilare in monasterium sui iuris (can. 615);

— praeesse electionibus superioris monasterii sui iuris et supremi Moderatoris instituti iuris dioecesanі (can. 625 § 2);

— visitare monasteria sui iuris et domos instituti iuris dioecesanі (can. 628 § 2 n. 2);

— permittere, ut alii in clausuram monialium admittantur ac moniales ad tempus egrediantur (can. 667 § 4);

— prohibere sodali instituti religiosi quominus in dioecesi commoretur (can. 679);

— committere opera religiosi (can. 681);

— conferre officium ecclesiasticum in dioecesi religioso (can. 682);

— visitare ecclesias et opera religiosorum (can. 683);

— consensum dare ad indultum exclaustationis concedendum respective indultum prorogare vel illud concedere (can. 686 § 1);

— imponere exclaustationem pro sodale instituti iuris dioecesanі (can. 686 § 3);

— confirmare indultum discedendi in institutis iuris dioecesanі perdurante professione temporaria (can. 688 § 2);

— concedere indultum discedendi in institutis iuris dioecesanі post professionem perpetuam (cann. 691 § 2 et 727 § 1);

— decernere dimissionem in monasteriis sui iuris (can. 699 § 2);

— confirmare decretum dimissionis in instituto iuris dioecesano (can. 700);

— consensum dare ad domum et communitatem localem societatis vitae apostolicae erigendam (can. 733 § 1);

— prohibere Episcopo externo praedicationem in dioecesi (can. 763);

— coordinare opera in territoriis missionis et curare ut debitae ineant conventiones (can. 790 § 1);

— consensum dare ad scholas institutorum religiosorum condendas (can. 801);

— ordinare et invigilare in educationem religiosam catholicam quae in scholis aut communicationis socialis instrumentis procuratur (can. 804 § 1);

— invigilare et invisere scholas catholicas (can. 806 § 1);

— invigilare in universitates catholicas (can. 810 § 2);

— iudicium ferre, utrum urgeat necessitas, quod sacramenta administrentur christianis non-catholicis (can. 844 § 4);

— concedere determinatis presbyteris facultatem ad sacramentum confirmationis administrandum (can. 884 § 1);

— iudicium ferre, utrum processio fieri potest in publicum erga sanctissimam Eucharistiam veneratio- nis testimonium (can. 944 § 1);

— statuere ordinationes de processionibus (can. 944 § 2);

— iudicium ferre, an condiciones ad absolutio- nem generalem requisitae dentur (can. 961 § 2);

— prohibere Episcopo extraneo confessiones in dioecesi excipiendi (can. 967 § 1);

— dare litteras dimissorias (cann. 1015 § 1 et 1018 § 1 n. 1);

— dare licentiam Episcopo extraneo sacros ordines conferendi (can. 1017);

— admittere candidatos ad ordines sacros (cann. 1029, 1030, 1052 § 1);

— iudicium ferre, an neophytus sufficienter probatus fuerit (can. 1042 n. 3);

— delegare laicos, qui matrimoniis assistant (can. 1112 § 1);

— concedere sanationem in radice (can. 1165 § 2);

— committere munus dedicationem alicuius loci peragendi (can. 1206);

— delegare ad benedictionem alicuius ecclesiae (can. 1207);

— dare consensum ad ecclesiam aedificandam (can. 1215 §§ 1 et 3);

— redigere ecclesias in usum profanum (can. 1222);

— indicare dies festos aut dies paenitentiae (can. 1244 § 2);

— imponere moderatum tributum (can. 1263);

— committere oeconomio determinata munera (can. 1278);

— determinare actus, qui ordinariam administrationem excedunt (can. 1281 § 2);

— consensum dare ad bona alienanda (can. 1292 § 1);

— reducere onera Missarum (can. 1308 §§ 3 et 4);

— transferre onera Missarum (can. 1309).

Accedunt aliqui casus in iure processuali (cann. 1425 § 2; 1428 §§ 1 et 2; 1431 § 1; 1469 § 2; 1653 § 1; 1692 § 1; 1699 § 1; 1706; 1707), qui vix ad exercitium

potestatis iudicialis, sed potius ad exercitium potestatis executivae pertinent.

7. Uti ex hoc elencho, qui quidem probabiliter nondum est omnino completus, statim apparet, in novo Codice numerosissimi sunt casus in ambitu potestatis regiminis executivae in dioecesi, qui *vi officii* dumtaxat Episcopo dioecesano competunt, dummodo expressis verbis non pertineant ad Vicarii generalis et episcopalis officium, uti eorum officium nunc canonice determinatur. Cuius iuris condicionis consecrarium primum est, quod officium Vicarii generalis et episcopalis non quidem sub aspectu formali, tamen sub aspectu materiali aliquo modo mutatum scilicet restrictum est, inquantum obligationes et iura officiis illis propria in Codice relate ad ius antea vigens minuta sunt, dum condicio canonica Episcopi dioecesani in Ecclesia particulari iuxta doctrinam Vaticani II magis effertur atque hoc modo episcopatus sic dictus «monarchicus» magis roboratur. Si iam initio huius saeculi recte affirmabatur, quod Codex anni 1917 intendebat Episcopi dioecesani iura melius in tuto collocare et Vicarium generalem strictius religare¹⁹, hoc iudicium a fortiori valet quoad novum Codicem, qui revera dependentiam iuridicam Vicarii generalis et episcopalis sub aspectu materiali valde auget, inquantum in ambitu potestatis executivae tanta nominatim Episcopo dioecesano tribuuntur, quae Vicario generali et episcopali in ambitu eorum competentiae *ex officio* non amplius competunt, sed illis potius exceptionaliter ope specialis mandati sive

¹⁹ Ita U. STUTZ, Der Geist des Codex iuris canonici (nota 12), 297.

ex parte sive ex toto, sive in actu collationis officii sive seorsim ab Episcopo dioecesano committi valent.

IV. DE INDOLE CANONICA POTESTATIS VI SPECIALIS MANDATI COMMISSAE

8. Propter hanc novam condicionem canonicam iterum quaeritur, utrum potestas, quacum Vicarius generalis vel episcopalis speciale Episcopi mandatum exercet, sit ordinaria aut delegata²⁰. Quod responsum quaeri non potest ex actis Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Recognoscendo, facile intelligitur, quia quaestio est potius speculativa-scientifica, etiamsi non sine consecrariis. In actis Commissionis invenitur solummodo aliquod responsum Commissionis ad animadversionem Cardinalis Palazzini, qui similiter ac Archiepiscopus Bernardin animadverberat novam paragraphum can. 131 Schematis CIC anni 1980 (nunc can. 134 CIC) non bene componi cum textu can. 399 §§ 1 et 2 (nunc can. 479 §§ 1 et 2)²¹. Respondit Commissio: «Non est contradictio. Quan-

²⁰ Cf. H. MÜLLER, Die Diözesankurie, in Handbuch des katholischen Kirchenrechts. Herausgegeben von J. LISTL - H. MÜLLER - H. SCHMITZ, Regensburg 1983, 369 nota 30; W. AYMANS, Der Leitungsdienst des Bischofs im Hinblick auf die Teilkirche, in Archiv für katholisches Kirchenrecht 153 (1984) 46 s; H. MÜLLER, Die rechtliche Stellung (nota 18), 408 et 413; H. SOCHA, in Münsterischer Kommentar zum CIC, 131,4 (November 1986); W. AYMANS, Oberhirtliche Gewalt, in Archiv für katholisches Kirchenrecht 157 (1988) 29.

²¹ RELATIO complectens syntheses animadversionum ab em.mis atque ec.mis Patribus Commissionis ad novissimum Schema Codici Iuris Canonici exhibitarum, cum responsionibus a Secretaria et consultoribus datis, Città del Vaticano 1981, 42; etiam in Communicationes 14 (1982) 150.

doque requiritur speciale mandatum de quo mentio fit in can. 131. Praeterea in § 3 statuitur "regula loquendi", secundum quam sub nomine "Episcopi dioecesani" non veniunt per se Vicarius generalis nec Vicarius episcopalis. Ita fit adaequata distinctio inter verba "Episcopum dioecesanum" et "Ordinarium loci"»²².

Ope huius novae normae exprimitur distinctio inter conceptus Episcopi dioecesani et Ordinarii loci, quae quidem iam in prioribus paragraphis eiusdem canonis (cf. can. 134 §§ 1 et 2) clare habetur atque in legibus ecclesiasticis intellegendis, si secundum propriam verborum significationem in textu fit, etiam deficiente hac norma nullam difficultatem secumferret. Intentio Commissionis erat indubitanter declarandi, quod omnia quae in canonibus Episcopo dioecetano tribuuntur, Vicario generali aut episcopali per se non competunt, sed tantummodo per accidens scilicet per speciale Episcopi mandatum²³. Cuiusnam autem indolis sit potestas ope specialis mandati Vicario generali aut episcopali commissa, ex intentione Commissionis erui nequit.

9. Argumentum decisivum pro commentatoribus Codicis anni 1917, qui potestatem vi specialis mandati possessam tamquam ordinariam interpretabantur, erat affirmatio, quod casus specialis mandati ab ipsa lege determinantur ad ambitum potestatis ordinariae vicariae ampliandum²⁴. Quod in novo Codice tali modo tamen non amplius habetur. Ab officio Vicarii generalis et episcopalis, uti in Codice constituitur, excipiuntur illa quae ex iure requirunt speciale man-

²² Ibidem.

²³ Cf. A. VIANA, *Naturaleza canónica de la potestad vicaria de gobierno*, in *Ius Canonicum* 28 (1988) 129 s.

²⁴ Cf. K. MÖRS DORF, *Lehrbuch* (nota 14), 431.

datum (cf. can. 479 §§ 1 et 2). Requirunt autem speciale mandatum illa, quae nominatim ac proinde exclusive Episcopo dioecesano a iure tribuuntur, quae expressis verbis Vicario generali et episcopali *vi officii* nondum competunt. Cum autem ope specialis mandati illa committuntur, non fit ampliatio obligationum et iurium officio Vicarii generalis aut episcopalis priorum. Nam iuxta can. 145 § 2 «obligationes et iura *singulis officiis ecclesiasticis propria* definiuntur sive ipso iure quo officium constituitur, sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur simul et confertur».

Hoc significat, quod Codex nunc vigens, qui de proposito accurate distinguit inter officii constitutionem et officii collationem²⁵, solummodo duos modos admittit ad obligationes et iura officiis ecclesiasticis propria definienda scilicet (a) ipso iure quo officium constituitur, (b) decreto quo officium constituitur et simul confertur²⁶. Officium Vicarii tum generalis tum episcopalis *ipso iure* constitutus est; decreto autem Episcopi dioecesani non constituitur, sed solummodo

²⁵ In Schemate De normis generalibus anni 1977 habebatur can. 118 § 1: «Officium ecclesiasticum est quodlibet munus a competenti auctoritate stabiliter *collatum* in finem spirituales exercendum». (Schema Canonum Libri I. De normis generalibus, Città del Vaticano 1977, 39); cf. criticam huius textus et emendationis propositionem apud H. SCHMITZ, Die Definition des Kirchenamtes, in Archiv für katholisches Kirchenrecht 147 (1978) 606 ss. Emendatio proposita a Pontificia Commissione Codici Iuris Canonici Recognoscendo admissa et in Schema CIC anni 1980 (can. 142 § 1) introducta est (cf. Schema Codicis Iuris Canonici, Città del Vaticano 1980, 31). Loco «collatum» nunc in Codice dicitur «*constitutum*» (cf. can. 145 § 1). De ratione mutationis vide etiam H. SOCHA (nota 20), 145,2.

²⁶ H. HEIMERL - H. PREE, Kirchenrecht. Allgemeine Normen und Ehre, Wien-New York 1983, 121.

confertur. Obligationes et iura vi specialis Episcopi mandati habita *non pertinent ad obligationes et iura officio Vicarii generalis aut episcopalis propria, quatenus officium Vicarii ipso iure constituitur*. Proinde non sunt potestatis ordinariae, quae quidem «ipso iure alicui officio adnectitur» (can. 131 § 1), sed, cum committuntur decreto Episcopi dioecesani, quo officium non constituitur, etiamsi fortasse confertur, sunt indolis delegatae. Iuxta can. 131 § 1 enim delegata nuncupatur potestas, «quae ipsi personae *non mediante officio* conceditur»²⁷. Quae textus redactio nova est²⁸. Addita sunt imprimis verba «non mediante officio». Hoc modo potestas delegata accuratius definitur. Omnis potestas, quae non vi officii obtinetur, est delegata. Hoc valet etiam, «si tribuatur *ratione* officii, verum non ipso iure sed a Superiore...»²⁹. Ita potestas Vicario generali et episcopali ope specialis Episcopi mandati commissa *non mediante officio*, etiamsi fortasse intuitu officii conceditur, sed immediate (!) delegatur. Roboratur haec interpretatio aliquo casu concreto, in quo Codex competentiam

²⁷ Optime scripsit de indole potestatis delegatae H. SOCHA (nota 20), 131, 11: «Von der potestas regiminis ordinaria unterscheidet sich die potestas regiminis delegata dadurch, daß sie einer Person direkt, *ohne die Vermittlung* eines Kirchenamtes, übertragen, ausübbar gemacht oder anerkannt wird. Jede Leitungsbefugnis, die *nicht durch das objektive (geschriebene oder gewohnheitsmäßige) Recht* dauerhaft mit einem Amt verknüpft ist, zählt zur potestas delegata, selbst wenn für diese amtsunabhängige Vollmachtsverleihung nicht die technische Bezeichnung delegatio bzw. (potestatem) delegare verwendet wird, sondern andere Formulierungen wie z.B. *mandatum...*».

²⁸ Cf. can. 197 § 1 CIC/1917: «Potestatem... delegata, quae commissa est personae».

²⁹ F.J. URRUTIA, De normis generalibus. Adnotationes in Codicem: Liber I, Roma 1983, 90.

exclusive tribuit ipso Episcopo diocesano, in quo autem ille, qui speciali mandato praeditus est, expresse nuncupatur «delegatus»³⁰; est casus can. 492 § 1:

«In singulis dioecesibus constituatur consilium a rebus oeconomicis, cui praesidet ipse Episcopus dioecesanus eiusve *delegatus*...».

Si igitur Episcopus dioecesanus confert Vicario generali aut episcopali munus consilio a rebus oeconomicis praesidendi, uti saepissime in dioecesibus fit, ille «delegatus» hoc in munere non potestate ordinaria vicaria, sed potestate delegata fruitur. Istud valet propter rationes supra allatas quoad omnes casus, qui in iure Episcopo diocesano nominatim tribuuntur, a quibus Vicarius generalis et episcopalis excluduntur, nisi de speciali mandato.

10. Quae mutatio figurae iuridicae specialis Episcopi mandati consecrarium iuridicum secumfert intuitu facultatis potestatem alio delegandi. Nam dum Vicarii generalis et episcopalis potestas executiva ordinaria vicaria in ambitu eorum competentiae «delegari potest tum ad actum tum ad universitatem casuum» (can. 137 § 1), potestas ab Episcopo diocesano ope specialis mandati iis delegata, «si ad universitatem casuum delegata sit, in singulis tantum casibus subdelegari potest; si vero ad actum aut ad actus determinatos delegata sit, subdelegari nequit, nisi de expressa delegantis concessionem». (can. 137 § 3).

³⁰ De valore talis argumentationis cf. H. SOCHA (nota 20), 131,15: «Werden dagegen einem Amtsträger auf diese Weise Leitungsbefugnisse verliehen, so ist allein aus dem Wortlaut der die Befugnis gewährenden Rechtsnorm ein sicheres Kriterium zur Unterscheidung der rechtlich delegierten von der ordentlichen Gewalt zu gewinnen (vgl. can. 1603 § 2 CIC/1917: ex potestate delegata)».

Quae normae accurate attendendae sunt tum in litteris, quibus Episcopus dioecesanus speciale mandatum concedit, tum in Vicarii generalis et episcopalis praxi subdelegationis.

HUBERT MÜLLER